

etiam Christiani orbis propugnacula, Iula, & Zigetum, capta & excisa sunt, fortissimis propugnatoribus, ad internecionem trucidatis, oppidis, vicisque incensis & euerfis, abacta, pecudum more, in foedissimam seruitutē, adolescentulorū, uirginū aliorumque omnis ætatis, omnis ordinis multitudine infeliciū mortalium infinita. Pone tibi ante oculos, quæ tū fuerit per Germaniam, Galliam, Italiam, alias prouincias, armatorum hominum concursatio, dum Principes ad tuendos, non iam Vngariæ fines tantum, sed reliquum orbem Christianū (quem ille iam spe deuorauerat, ac, nisi admirabili Dei prouidentia sublatus fuisset: sed nolo grauiora ominari) magno studio se comparant, atque undique maximi duces, cum subsidiario milite, ad Diuum Maximilianum Cæsarem confluent. Hos tamen tantos tumultus, hos tantos motus, hoc tam memorabile bellum, tam magnas illas strages & uastitatem, ipsam denique formidabilis Christianis populis Tyranni mortem, quis rerum humanarum, bellorum item, & uitæ necisque Regum dispensator, autor, & prænuncius cometes portendit? Mortuus est non multo post Cypri euerfor ac triumphator Solymani filius & successor, is, qui à nostris ad Echinadas nauali pugna memorabili, nullo ante exorto cometa, gloriose superatus est. mortuus item Sigismundus Augustus, Sarmatarum Rex potentissimus cum uxore Catharina Austriaca, lectissima Regina: paucis ante annis Diuus Ferdinandus Cæsar, cuius pietas summa atque insignis sapientia extitit: tum abhinc fere biennium tanto patre dignissimus filius Diuus Maximilianus, Imperator Opt. Max. cuius nunquam satis obitum, pro illius diuina uirtute, deplorare possumus, plurimi alij Principes in Europa, & alibi mortui sunt, in quibus aliquot Pontt. Max. tum Henricus Galliarum Rex bellicosus, miserabili fato functus, & eius filius Franciscus II. Rex, post hunc Carolus item IX. Rex, eius frater. Hi paucis interiectis annis diem suum obierunt, nec tamen ullus fatidicum

V

suum